

*Instrumentum testamenti di
Giovanni de Ferreria di Potenza*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Instrumentum testamenti di
Giovanni de Ferreria di Potenza*

1442 ottobre 30

† In nomine domini domini nostri Iesu Christi, amen.
Anno a nativitate ipsius millesimo quatricentesimo
quatragesimo secundo, regnante serenissimo et
illustrissimo domino nostro domino Alfonso, Dei gratia
Ierusalem et Sicilie rege, Aragonum, Sicilie, Valencie,
Maiorice, Sardenie et Corsice comite et Baringie, duce
Athenarum et Neopatrie ac etiam comite Russilionis
et Ceritanie, anno vero eius octavo, feliciter, amen,
die tricesimo mensis octubris, sexte indictionis, apud
civitatem Potencie.

1

Nos Nicolaccius de Arcerio civis civitatis Potencie
annalis et ydiota iudex, Thomasius Strambus de Potencia
puplicus ubilibet per provincias Principatus citra et ultra
Serras Montorii, Capitinate et Basilicate regia auctoritate
notarius et testes subscripti licterati et inlicterati ad
hoc specialiter vocati et rogati presenti scripto puplico
instrumenti testamenti fatemur atque testamur quod
predicto die eiusdem ibidem personaliter accersitis ad
domum Iohannis de Ferreria de Potencia ad preces
nobis factas pro parte eiusdem, sitam intus civitatem
Potencie in parrochia ecclesie Sancti Michaelis, suis loco
et finibus limitatam, et in sala ipsius domus invenimus
eundem in lecto grotantem, sanum tamen mente et recte
locutionis sistentem, et considerans quod nil certius
morte et nichil incertius hora eius, volens anime sue
saluti providere de bonis suis omnibus presens suum
ordinavit et condidit testamentum, quod esse voluit
ultimum et finale derogatorium ceteris aliis hucusque
per eum condidis atque factis sub quacumque verborum
serie sive forma et quod lex Falcidia in eum locum
Così A, si intenda Barchinone

non habeat et quod si non valeret iure testamenti saltem valere voluit et mandavit iure codicillorum donationis causa mortis et cuiuscumque alterius ultime voluntatis obtineat firmitatem et epistule donationis predictae causa mortis. Et quia in quolibet testamento requiritur caput esse exordium et in quo quidem testamento heredes instituit atque fecit sibi Nicolaum et diaconum Iacobum de Ferreria, suos filios legitimos et naturales, in omnibus bonis suis mobilibus et stabilibus preterquam in infrascriptis legatis et fidei commissis. Item elegit sibi canonicam sepulturam in ecclesia Sancti Michaelis, tam intus ecclesiam quam in cimiterio eiusdem ubi dicti sui heredes sepelli voluerint, sit ad arbitrium et electionem ipsorum et pro sepultura servatur ad electionem ipsorum filiorum suorum. Item legavit presbiteris ecclesie Sancti Michaelis pro eorum adventum tarenos duos et medium. Item legavit et voluit quod obsequia sua celebrentur cum cera sua et fient. Item legavit pro malis ablatis incertis tarenum unum. Item legavit pro defraudatione decime dicte ecclesie de frumento thumulum unum. Item legavit dopno Antonello de Saccorneto, patrino suo spirituali, tarenum unum. Item legavit Forelle, filie sue, vegetem unam ad reponendum vinum capacitatis salmarum quatuor. Item legavit eidem de novaleis seminandis frumenti thumulum unum inter novalias suas. Item legavit Mengue, uxori sue, quas coram nobis confexus fuit recepisse ab ea tempore contracti matrimonii inter eos, dotes suas omnes, etiam quod ipsa Menga, donec quod vixerit, sit domina et patrona de domo in qua habitat, nec non omnia vestimenta et suppellectilia sistencia intus dictam domum, nec non et quod diaconus Iacobus, filius suus, habitat cum ea in dicta domo insimul et, ipsa moriente et dicto diacono Iacobo, dicta domus

voluit quod applicatur ecclesie Sancti Michaelis et quod presbiteri ipsius ecclesie pro dicta domo teneantur orare pro anima sua et suorum. Item legavit loco Sancti Laurentii de Potencia terram unam quam asseruit tenere et possidere in tenimento civitatis Potencie in contrata ubi dicitur lo Podo delle Tende. Item legavit Iohannelle, alteri filie sue, de frumento thumulos decem quas asseruit et dixit mutuasse eidem. Item legavit fratarie ecclesie Sancti Michaelis tarenos tres. Item legavit dyacono Iacobo, filio suo, vegetem unam ad tenendum vinum salmarum sex. Item legavit dicto Nicolao, filio suo, ultra hereditatem, casilia prope domum dicti Nicolai. Item fecit epitropos, distributores, executores et fidei commissarios sui presentis et ultimi testamenti Nicolai et diaconum Iacobum, suos filios et heredes, presentes et sponte onus dicti epitropatus in se suscipientes, quibus dedit omnimodam et plenariam auctoritatem et potestatem intrandi, vendendi et alienandi tantum de bonis suis omnibus, donec presens testamentum et contenta in eo plenarie exequantur et debite executioni mandentur. Unde ad futuram memoriam et preces dicti defuncti et cautelam quorum et cuius interest et poterit interesse in futurum, factum est exinde presens publicum instrumentum testamenti per manus mei predicti notarii, signo meo solito signatum, mei qui supra iudicis et nostrum subscriptorum testium subscriptionibus et subsignationibus roboratum.

2

3

Così A, si legga conditis.

Così A, si legga adventu.

Quod scripsi ego predictus Thomasius publicus ut supra notarius, qui premissis omnibus vocatus et rogatus interfui ipsumque meo consueto signo signavi. (SN) Thomasius † Signum crucis proprie manus Nicolaccii de Arcerio annalis et ydiote iudicis qui se scribere nescientis ut supra predicta fateor. † Ego dompnus Angelus Grossus testis sum. † Ego dompnus Loysius testis interfui. † Ego dompnus Angelus Porcarius de Potencia testis sum. † Ego diaconus Iohannes de magistro Crissi testis sum. † Ego dompnus Antonellus de Ssaccientu testis sum interfui. † Signum crucis proprie manus Calipsi ydiote qui interfuit et se scribere nescientis fatetur. † Signum crucis proprie manus Thomasii de Zaramella ydiote qui interfuit et se scribere nescientis fatetur. † Signum crucis proprie manus Leonardi de Neapoli testis ydiote qui interfuit et se scribere nescientis fatetur.